

**Pædeuterium, quo  
novum rectorem  
magnificum,  
medicinæ  
professorem in  
Regia A...**

Mowallius, Petrus Magni

*1 Ic Fol.*



National Library  
of Sweden



PÆDEUTERIUM,

QUO NOVUM RECTOREM MAGNIFICUM,  
 MEDICINÆ PROFESSOREM IN REGIA ACADE-  
 MIA CHRISTINEA ABOENSI EXPERIENTISSIMUM,

DN. ELIAM *Zillanz*

Medicinæ Doctorem celeberrimum; dum o-  
 nere Rectoratus levaretur consultissimus J. uq;  
 Professor, DN. M. AXELIUS KEMPE;  
 ad diem 22. Junij Anni vertentis 1676, cele-  
 bri solennitate inauguratum, sic alloqui-  
 mur, patriotæ studiosi, obedientiâ &  
 studijs maximè obligati.

A B O Æ

Excusum à PETRO HANSONIO Acad. Typ.  
 ANNO 1676

1676

*Handwritten signature or mark*



DEUS alme pater, furias insontibus aufer  
Terrigenis sancto quos semper numine reple!  
Nam satanas semper furiarum circumit instar,  
Quærit quos perdat, inventos trudit in orcum,  
Excipiat quos post flammis atq; igne perenni:  
Et bellaria suscipiunt hinc tormina amara.

Armigerasq; manus, regum Rex ipse, gubernas  
Svecorum Regis Caroli, qui scepra moderna  
Curat, quo patriæ res faustæ deniq; fiant;  
Et maneat pietas olim quæcunq; locorum;  
Barbaricosq; truces medios vivamus & inter  
Hostes indemnes, cereali fruge beati!  
Eximo cordis rogitamus deinde recessu,  
Sub vite ut liceat propriâ sentire quietem!  
Exercere queat munus, quod suscipit ingens  
Nunc humeris Tū landz/ artis Doctor medicinæ!  
Quæq; dies etiam Rectorem te dabit alnum,  
Fausta dies veniat, felicitæ omnia cedant!  
Rector ades fautor, fautorem poscimus omnes;  
Et rei consilijq; inopes. Tu porrigere dextram!  
Sis igitur medicis medicus jurisq; peritis,  
Thejologis medicus, sophicis Medicusq; Magistris!  
Omnia rara ferens Phœbo duce, rege Minervâ!  
Carminis hinc facio finem: Tu vive superstes!

T. & M. t. a.

obsequentiſſimus

PETRUS MOWALLIUS Wex. Smol.



**V**T Ampliſſimum Dominum Doctorem Eliam Tū landz/ ipſo Æſculapio ſa-  
luberrimæ Facultatis Medicæ Experiētiorem, Galeno excellentiorem, me-  
rito deprædicamus; ita in ipſâ hac vita S morum medelâ, ipſo Ariſtide Juſti-  
orem, ipſo Pomponio Attico æquiorē S ſvaviorem, ſere auſpicatō nobis gratu-  
lamur;

latur. Gratulèmur & ipsi tantam hanc dignitatem: ipse enim totius hujus uni-  
versitatis suscipiet regimen, quod ipsi senatus detulit Academicus, quo nostris de  
moribus ritè censebit. Ille, qui in Albo studiosorum manere, quiq; inscribi debeant,  
estimabit. Ille transilientes limites ipsis præfixos, in pristinam rediget stationem.  
Ille statam dividet, omnibusq; Academiae & civibus & censibus modum ponet.  
Ille senatus suffragia colliget. Illi sententiarum, secundum leges & senatorum  
vota ferendarum, autoritas dabitur. Ille ergò de causis gravissimis, ut & de  
hominibus (ubi res ita postulaverit) excellentissimis judicabit. Laborabunt eti-  
am ceteri, de quibus judicare ad ipsum non attinet, ipsi ut placeant: est enim co-  
mitate Juvenis, solertiâ & prudentiâ vir, gravitate senex. Quid ergò aut pu-  
blicè aut privatim lætius? quid nobis optabilius, quàm non solam corporis, sed &  
animi salubritatis clarissimum, non dicam exemplar, sed etiam caput sibi præposi-  
tum videre? ô diem hunc inaugurationis lætum, nobisq; calculo candidissimo no-  
tandum! quod gaudium ut per totius anni decursum &c. cum ipso continuo capi-  
amus, Deum optimam maximum oramus. In primis autem ardenti voto sic  
precatur

T. Magnificentia

Officiosissimus

PETRUS C. WIOSTRINUS  
Wex. Smol.




**U**rbulentis licet temporibus, clementissimi nostri Mag-  
stratus paterna cura salutis subditorum, omnibus in sta-  
tibus elucet maxima, quâ omnes subditi levantur & re-  
ficiuntur: Alias enim desponderent animum, quasi  
membra sine capite. Cujus rei si unum alterumve in-  
tueamur specimen, sic esse sentiemus. In ordinem senatorium viri  
excellentissimi eliguntur, qui maturis consilijs R.<sup>o</sup> M.<sup>o</sup> adsunt. Consi-  
lio enim magis quàm viribus res magnæ geruntur. In ecclesiastico do-  
cti ac vigilantes pastores ordinantur, qui unâ cum pijs auditoribus  
Satanæ inauditâ & detestabilem tyrannidem depellere & impedire pos-  
sunt. In statu Academico & literario R.<sup>o</sup> M.<sup>o</sup> cura apparet præcipua,  
non solum præcl. viros juventutem informaturos sustentando, sed eti-  
am Rectores eidem ordinando. Quod verum esse hodiernus dies osten-  
dit, dum consultissimus Dn. Prof. Juris M. AXELIUS KEMPE, præte-  
rito anno Regiæ Academiae Rector Magnificus, grave Rectoratus  
onus deponit, & Excel<sup>mi</sup> ac Experientissimi Doctoris TILLANDI humeris imponit. O lætum diem! Lætatur societas Academica talibus ho-  
noribus

noribus! Tota concio literatorum tam eximijs ducibus lætatur! Ego  
T. M. obseq. cliens hos honores gratulor. Adsit tibi Deus opt. Max.  
tuisq; egregijs faveat conatibus, ut hoc insigne munus in pace ac felicitate obire queas, ac ut omnia in divini nominis gloriam & famam perpetuam vergant! Vale, Magnifice Dn, Rector, & consueto favore complectere

*T. M. i.e.*

*Obsequentissimum discipulum.*

JOHANNEM ASCHLOVIUM  
Wex. Smolandum.



**N**unc hilares voces ad sydera jactitet omnis;  
Plaudite nunc mecum, studiosi, quotquot adestis!  
Sceptra tenenda capit reliquis ex omnibus unus  
Palladij, quem turba ducem comitetur euntem.

Huic ferat è celo salvator opemq; benignam;  
Huic sol justitiæ frontem gravitate coronet,  
Rectoris valeat quò prospere munere fungi!  
En tibi surgit honor, splendor quoq; nominis ingens,  
In calis tandemq; quies tibi tuta per ævum:  
*Posteritas nominemq; tuum nec docta scilicet.*  
Unam præ reliquis tibi conprecor, optime Rector,  
Ut patriæq; feras simul & tibi commoda multa!  
Vota igitur solvam, tibi prospera cuncta votendo:  
Sis salvus, sis incolumis patriæq; superstes!  
Esto benignus itemq; mihi, dum tempore in omni  
Vita tibi superest, promotor & auxiliator!  
Vive igitur Tibi, vive bonis patriæq; perennis!

*Tua MAGNIFICENTIÆ*

*Humillimus cultor*

MAGNUS A. HALLJN  
Wex. Smolandus.